

cumque posse hominem dissentire si velit, qui plane est sensus compositus.

Atque hoc satis confirmant verba ejusdem Concilii dicentis, *tangente Deo cor hominis, posse hominem inspirationem illam abjicere*; non enim dicit posse Deum inspirationem illam tollere. Id enim satis manifestum est, indicat autem libertatem Dei, non nostram; hæc autem indicatur per hoc, quod possumus abjicere inspirationem, etiamsi ex parte Dei non tollatur. Idem ostendunt verba canon. 4, scilicet, *liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, ita consentire Deo excitanti et vocanti, ut possit dissentire si velit*. Ubi imprimis considero loqui Concilium de homine ita vocato ut consentiat, et consequenter de efficaciter vocato, et nihilominus de illo dicere retinere potestatem dissentendi; deinde expendo eodem modo dicere Concilium *consentire et dissentire Deo vocanti*; quare sicut potestas consentiendi est in sensu composito, ita etiam potestas dissentendi. Imo, ut dicebamus, alias non esset potestas dissentendi Deo vocanti, si oporteret prius vocationem Dei cessare aut minui; tunc enim cessaret consensus, quia cessaret vocatio, non quia homo dissentiret vocationi.

Nulla est vocatio cui resisti non possit. — Concludimus igitur nullam esse vocationem cui resisti non possit, neque hoc pertinere ad rationem efficacis vocationis, non est enim vocatio efficax, cui resisti non potest, sed cui non resistitur, et quæ ex intentione Dei tali modo datur, ut infallibiliter ei non resistatur, licet resisti possit. Hæc enim duo non repugnant, ut supra declaratum est. Et nihilominus non agnoscimus veram et sufficientem vocationem, quæ in sola cognitione consistat, quia non repugnat vocationi penetrare usque ad ipsam voluntatem, quoad internos motus ejus indeliberatos, relinquendo in illa potestatem ad non præbendum deliberatum consensum; imo oppositum repugnat, nisi novum miraculum addatur. Quia sicut nulla cognitio viæ, quantumvis vehemens, tollit potestatem obsistendi, ita nulla inclinatio per simplices affectus indeliberatos tollit potestatem deliberandi, et negandi consensum, nisi aliunde impediatur usus actionis et libertatis.

Vocatio pertinet ad gratiam excitantem et exordium salutis. — Augustinus. — Imo addimus ultimo quod, licet daremus esse possibilem vel necessariam illam prædeterminationem physicam, nihilominus non posset intra vocationem (ut sic dictam) computari, sed esset

motio alia a vocatione distincta. Probatur, quia Concilium Tridentinum dicit vocationem pertinere ad gratiam excitantem et exordium salutis; at prædeterminatio non est gratia excitans, ut per se notum est; nec pertinet ad exordium salutis, ut supra probavi, sed potius ad consummationem. Ad hoc item spectat quod Augustinus ait, Deum per vocationem operari in nobis sine nobis, ut velimus; cum autem volumus, nobiscum cooperari, quæst. 2 ad Simplician., et lib. de Gratia et lib. arb., cap. 17; ex quo argumentor in hunc modum: nam vel illa physica motio, ut est ex sola efficientia Dei, terminatur ad aliquem actum vitalem voluntatis, vel non, sed tantum ad quamdam determinationem præviam; si hoc posterius dicatur, non potest appellari vocatio, quia vocatio consistit in vitali actu cordis sentientis, et percipientis illam; si vero eligatur prius, interrogo qualis sit ille actus vitalis in voluntate: aut enim est indeliberatus motus, et hoc non, quia ille pertinet ad gratiam excitantem, et non determinat physice, ut ostensum est; aut est ipsemet consensus deliberatus, ut procedens a Deo, et sic etiam non potest dici vocatio, sed potius responsio; nam licet homo respondeat, Deus ipse est qui ipsam bonam responsionem principaliter operatur. Unde vocatio in voluntate semper est actus in re ipsa distinctus ab obedientia, seu consensu ejus, præceditque sicut exordium salutis, ut Tridentinum dixit, et verum habet etiam in vocatione efficaci. Quamvis ergo omnis vocatio antecedit physicam determinationem voluntatis, et a quocumque principio illa procedat, nihilominus non est sola cognitio, sed voluntatem etiam afficit.

CAPUT X.

LIBERUM ARBITRIUM NON MERERI GRATIAM PRIMAM, ETIAMSÌ DETERMINATIO AD CONSENTIENDUM GRATIÆ VOCANTI SINE ILLO NON FIAT.

Præter omnia superius dicta, inferunt ex nostra sententia, et, quod gravius est, nobis simpliciter attribuunt quod meritum primæ gratiæ libero arbitrio suis naturalibus viribus operanti tribuamus; sic dixit M. Davila, cap. 25, pag. 234, et cap. 11, p. 116: *Ista sententia constituit meritum in natura, quoniam illam operationem, quam constituit extra gratiam per solas vires nature, infallibiliter sequitur gratia gratum faciens*; et alibi dicit de nobis: *Profitentur hominem actibus ex viribus nature*

profectis, gratiam et justificationem adipisci. Et quamvis hic auctor non referat in particulari doctorem aut locum in quo talis sententia, vel illamet formalia verba quæ ab ipso proponuntur, contineantur, videtur tamen occasionem sumpsisse ex quibusdam verbis Molinae, in disp. 13 suæ Concordiæ, quæ postea expendemus; loquitur etiam consequenter ille auctor, nam cum supra nobis imposuerit quod dicamus, a nobis ipsis, et per nostras vires habere ultimam dispositionem ad gratiam, quid mirum est quod asserat nos usurpare proprium meritum gratiæ? nam ultima dispositio aliquod meritum gratiæ existit, saltem impetratorium, seu de congruo.

Hæreticum est dicere posse hominem mereri primam gratiam per vires nature. — *Divisio primæ gratiæ in primam auxiliantem, et primam sanctificantem.* — Constat autem apud Theologos, esse manifestam hæresim, dicere posse hominem mereri primam gratiam per vires nature, sive id intelligatur de merito de condigno, sive de congruo. Et ideo grave ac intolerabile est, quod Doctoribus catholicis tam manifestus error attribuitur, exlevissimo fundamento, cum alio falso testimonio, hoc posterius deducendo, et postea utendo verbo illo *profitentur*, quod verbum non insinuationem aliquam vel indirectam collectionem, sed expressam et formalem doctrinam, et ex professo tractatam præ se fert. Ubi autem est in nostris auctoribus aut libris talis professio? aut quis est ex nostris hujus materiæ tractatoribus, qui errorem illum ex professo non impugnaverit? Ut ergo veritas declaretur, vulgaris est distinctio primæ gratiæ in auxiliantem, et in primam sanctificantem. Priori modo loquuntur frequenter de prima gratia sancti Patres, præsertim disputantes contra Pelagianos et Semipelagianos. Estque hæc gratia primum illud auxilium, quo Deus hominem movere incipit ad pie vivendum, ut sumitur ex Augustino, Epistol. 90, 95 et 105, et sequentibus. Quodlibet enim donum gratiæ gratia appellatur, et quia inter dona gratiæ, quæ homini operanti donantur, auxilium Dei est maxima gratia, ideo primum auxilium unde cætera incipiunt simpliciter prima gratia appellatur. Posteriori modo dicitur prima gratia habitus primo infusus animæ peccatoris ut sanctificetur, illius enim munus et formalis effectus est sanctificare animam. Vocatur autem prima quatenus terminat infusionem, ut distinguatur ab augmento, quod illi postea superaddi solet: et hanc gratiam fre-

quenter intelligunt Scholastici nomine primæ gratiæ simpliciter dictæ.

Prima gratia auxilians, et prima gratia sanctificans, in quo conveniant. — *Neutra cadit sub meritum de condigno.* — Est autem differentia, scilicet, posse esse præmium nostri meriti. Conveniunt enim, quia neutra cadit sub meritum de condigno, quia utramque illarum necesse est ante illud supponi. Nam homo non sanctificatus non est capax meriti de condigno, nec pie operari potest sine præveniente Dei auxilio. Secundo conveniunt, quia neutra cadere potest sub meritum, etiam de congruo seu impetratorium, fundatum in actu elicito a libero arbitrio per solas vires naturales suas, quia hujusmodi actus est improporcionatus ad totum supernaturale bonum. Et ideo nec per modum meriti, nec per modum congruæ et proportionatæ dispositionis potest aliquod donum illius ordinis impetrare. Quæ duo certa sunt, et definita in Conciliis Arausicano secundo et Tridentino.

In quo ab invicem differant. — Differunt tamen, quia prima gratia auxilians necessario excludit omne meritum, etiam imperfectum et impetratorium, quibuscumque viribus factum, quod sequitur necessario ex principiis proxime positis, quia ante primum auxilium non potest præcedere actus procedens ab auxilio gratiæ, alias illud non fuisset primum; actus vero non procedens ab auxilio non potest esse meritorius alicujus gratiæ, ut dictum est; ergo in nullo prorsus actu fundari potest meritum etiam impetratorium hujus primæ gratiæ. Unde obiter intelligitur hoc esse verum non solum de prima gratia excitante, sed etiam de prima adjuvante, seu cooperante. Quia utraque necessaria est ad eliciendum opus pietatis, et ita utraque antecedit primum meritum, et est principium ejus; principium autem meriti non cadit sub meritum.

At vero prima gratia sanctificans, juxta probabiliorem sententiam, et juxta phrasim Augustini, cadere potest sub meritum imperfectum, fundatum tamen in auxilio gratiæ, quod solet Augustinus impetratorium vocare, scholastici autem de congruo. Quomodo ait Augustinus, Epistola 105, gratiam remissionis peccatorum non dari sine aliquo merito fidei et dilectionis. Ratio a priori est, quia, licet hæc gratia vocetur prima in ratione formæ sanctificantis, quia re vera est prima forma hujusmodi, nihilominus in toto ordine gratiæ non est prima, sed supponit plures alias gratias, quæ licet

non sanctificent formaliter, sunt tamen principia juste et pie operandi aliquo modo, et ideo sub gratia justificationis in tota sua latitudine sumpta includuntur, quia ad justitiam aliquo modo præparant, juxta modum loquendi Concilii Milevitani, can. 3 et 5, et Concilii Africani sub Bonifacio I, can. 78, et Cœlestino I, epistol. 4 ad Episcopos Galliæ, capite 10. Ac propterea, licet ante primam gratiam justificantem non possit præcedere proprium meritum de condigno, potest nihilominus præcedere impetratorium, in virtute prioris gratiæ, per quam fit dispositio congrua ad posteriorem gratiam, scilicet sanctificantem. Unde a fortiori intelligitur posteriores gratias auxiliantes, quæ post primam dantur, posse cadere sub meritum, saltem imperfectum et impetratorium, quia jam illud meritum donum Dei est, et ita semper datur gratia pro gratia.

Salutis initium nullo modo est a nobis non solum merentibus, verum nec libere cooperantibus, etiamsi determinatio sit a nobis operantibus libere. — Quod igitur ab hac sana et solida doctrina de merito primæ gratiæ non solum non dissideat, verum potius mirum in modum consonet sententia nostra de vocatione congrua, ejusque morali efficacitate præveniente, facillime declaratur in utroque membro distinctionis propositæ. Et imprimis de prima gratia auxiliante evidens est non posse cadere sub meritum, ratione liberæ determinationis, quæ a libero arbitrio fit cooperante gratia, nam illa determinatio necessario supponit præviam vocationem, a qua ducit originem; ergo planum est non posse illam mereri, quia non potest esse meritoria sui principii. Præterea supra diximus initium salutis nullo modo esse a nobis, non solum merentibus, verum etiam nec libere cooperantibus, etiamsi determinatio sit a nobis operantibus libere. At vero omnia quibus id probavimus idem probant a fortiori de prima gratia auxiliante, nam ex doctrina ibi data constat primam gratiam auxiliantem esse initium salutis, quia vocatio est primum auxilium, et a vocatione sumitur exordium salutis. Ergo licet concedamus determinationem liberam esse aliquo modo meritoriam, quia non fit a nobis viribus naturæ, sed vocatis, et adjutis gratia Dei, non tamen potest inde inferri esse meritoriam primæ gratiæ auxiliantis, quia meritum non est respectu antecedentium donorum, sed subsequentium ad opera facta ex prioribus gratiis.

Objectio.—Dicitur fortasse hoc esse verum respectu primi auxilii sufficientis. Nam de illo verum est antecedere usum libertatis nostræ, et de illo possunt procedere omnia quæ dicta sunt de initio salutis; non tamen habere locum in primo auxilio efficaci, quia juxta nostram sententiam (ut adversarii aiunt) nostrum arbitrium suo libero influxu illud facit efficax; ergo meretur illud quatenus efficax est, seu efficaciam ejus. Quod satis magnum inconveniens est, quia cum ab efficacia auxilii pendeat tota salus et discretio inter prædestinatum et reprobum, totum hoc reduceretur in meritum nostrum tanquam in primam radicem.

Solvitur.—Respondemus imprimis: licet illud primum concederetur, nihilominus verum non esset quod adversarius infert, dari meritum gratiæ ex solis naturalibus viribus liberi arbitrii; nam hæc determinatio in qua dicitur fundari tale meritum, non est ex naturalibus viribus liberi arbitrii, licet sit ex innata libertate, elevata et adjuta per auxilium divinum. Unde nec potest tale meritum dici prima radix salutis, quia ante illud præcedit vocatio, quæ licet, ut præcedit, dicatur esse tantum sufficiens (ut adversarii opponunt, et nos non admittimus, sed transire permittimus), nihilominus id satis est ut salus revocetur in primam gratiam prævenientem, tanquam in primam originem, et non in meritum nostrum. De discretione autem inter prædestinatum et reprobum dicemus capite sequenti.

Primum auxilium, etsi non sit efficax sine nobis libere cooperantibus, tamen non est efficax ex merito nostro. — Sed hæc responsio tantum est ex superabundanti, ad ostendam omnibus modis debilitatem objectionis et impositionis falsitatem. Vera tamen responsio est, nullum posse intercedere meritum, etiam fundatum in gratia, respectu primi auxilii efficaci, etiam ut efficax est. Quod declaratur primo juxta opinionem eorum, qui dicunt auxilium solum denominari efficax ab actuali actione, id est, actu efficiens. Quamvis enim juxta hanc sententiam primum auxilium non sit efficax sine nobis libere cooperantibus, nihilominus non est efficax ex merito nostro, hæc enim duo quam longissime distant, et hoc secundum non sequitur ex primo.

Quod probatur exemplis simul et ratione, nam actus fidei, verbi gratia, non est in nobis sine nobis cooperantibus libere, idemque est de actu spei, charitatis, pœnitentiæ, et similibus, et tamen inde non sequitur per liberam

cooperationem ad actum fidei mereri nos ipsummet actum fidei, et idem est de cæteris; quia nos non meremur actum quem facimus, sed per illum meremur quippiam aliud. Et eadem ratione per liberam cooperationem ad actum fidei non mereor illudmet auxilium, quo Deus vel prius me excitavit, vel nunc me adjuvat ad eundem actum. Quia auxilium excitans, quod antecessit, eo ipso est prius quam mea cooperatio, et initium et causa ejus, ideoque non potest cadere sub meritum ejus. Auxilium autem concomitans, licet non sit prius, non est tamen posterius libera cooperatione; unde nullo modo supponit illam ut possit ipsa esse meritum ejus. Imo si consideretur influxus liberi arbitrii et gratiæ cooperantis, ut sunt actu in re, nihil aliud sunt quam unica actio libera et supernaturalis, ab utroque principio simul procedens; eadem autem actio non meretur seipsam, neque est meritoria, ut procedit ab uno vel altero principio tantum, sed ut est ab utroque simul; quia utraque conditio libertatis et supernaturalitatis ad meritum necessaria est; ergo nullo modo potest considerari meritum in influxu liberi arbitrii præcise spectato respectu influxus gratiæ concomitantis. Quod non solum est verum in primo actu supernaturali, sed etiam in secundo et tertio, et quocumque alio; quia licet unum auxilium concomitans possit esse ex merito alterius actus præcedentis, non tamen ex merito illius actus, qui per illud fit. Hoc vero est singulare in primo actu supernaturali, quod auxilium concomitans ad illum sub nullum meritum cadere potest, quia tale meritum nec potest esse illius actus, qui per illud fit, propter rationem factam; nec alicujus præcedentis, quia nullus est capax meriti, cum non fuerit supernaturalis, nec hominis grati; agimus enim de homine adulto, qui incipit se ad gratiam sanctificantem disponere.

Determinatio libera ex parte liberi arbitrii quid sit.—Atque hic discursus, qui in ipsis actibus supernaturalibus liberi arbitrii videtur evidens, habet eandem efficaciam in quacumque determinatione libera ad eosdem actus, etiam ad primum consensum conversionis ad fidem, vel pœnitentiæ. Primo, quia juxta nostram sententiam determinatio libera ex parte liberi arbitrii nihil aliud est quam ipsemet actus in fieri, seu actio per quam voluntas suum consensum elicit. Quia non est necessaria alia prior actio, cum hæc sit intrinsece voluntaria absque alia priori vo-

luntate, alias oporteret in infinitum procedere, ut alibi declaratum est; ergo tota ratio facta de ipso consensu eandem vim habet in determinatione libera ad consensum; nam ratio illa maxime procedit de consensu ipso, ut est in fieri, seu quatenus est actio quædam; ad illam enim est necessarium auxilium proxime et formaliter.

Augustinus: Nemo potest sibi tribuere quod vocatus sit.—Secundo, declaratur applicando rationem factam; nam imprimis determinatio ad consensum non potest esse meritoria prævenientis auxilii seu vocationis, quia supponit illam tanquam principium et causam: propter quod recte dixit Augustinus, *licet quis sibi tribuat quod veniat vocatus, non posse sibi tribuere quod vocatus sit.* Rursus, cum ad ipsam determinationem faciendam requiratur actualis influxus gratiæ adjuvantis, manifestum etiam est non posse cadere sub meritum ejusdem determinationis prout est a libero arbitrio. Quia si consideretur gratia adjuvans, quatenus ex parte Dei offertur vel datur in actu primo, ut sic est etiam prævia et antecedens ad determinationem et principium ejus, ac proinde non potest cadere sub meritum ejus. Si vero consideretur gratia adjuvans quoad actualem influxum suum seu concursum Dei, sic, licet non sit prævia, est omnino simul et concomitans, et intrinsece ac essentialiter inclusa in ipsamet determinatione; ergo non potest cadere sub meritum ejus, sed saltem ordine naturæ debet supponi ad præmium, et saltem ex natura rei debet ab illo actualiter distingui. Eo vel maxime quod illa determinatio non est supernaturalis, nisi quatenus includit actualem influxum gratiæ adjuvantis; ergo nec meritoria; ergo non potest esse meritoria ipsiusmet auxilii concomitantis, quo fit.

Nec refert quod auxilium non sit nec denominetur efficax usque ad hanc determinationem, quia inde non sequitur nos mereri efficaciam auxilii, sed solum sequitur nos efficere illam actionem, a qua auxilium prævium denominatur efficax, seu actu efficiens; neque etiam sequitur, formaliter ac proprie loquendo, nos efficere efficaciam auxilii, sed ad summum illam non fieri sine nostra cooperatione, quod nullum inconveniens est. Nam hæc efficacia (juxta hunc loquendi modum) nihil aliud est quam actio, a qua auxilium denominatur actu efficiens; illa autem actio simul fit ab auxilio et libero arbitrio, nec potest aliter fieri. Formaliter autem et

proprie denominat auxilium actu efficiens, ut est ab ipso, non ut est a libero arbitrio, sicut ipsum etiam arbitrium denominat efficiens, ut est ab ipso, non ut est ab auxilio. Et ideo sæpe monemus dicendum non esse, etiam juxta hanc sententiam, auxilium prævium fieri efficax a libero arbitrio, sed solum non fieri efficax sine concomitantia liberi arbitrii, nam formaliter non fit, vel potius non denominatur efficax nisi per suum influxum; hunc autem non præbet, nisi influente simul libero arbitrio.

Principium meriti non cadit sub idem meritum, et meritum debet antecedere præmium, non subsequi. — Secundo, et facilius hoc declaratur juxta nostram sententiam, quod auxilium præveniens in sua prioritate (ut sic dicam) et antecessione sit et vere denominetur efficax, eo quod detur per vocationem congruam et accommodatam, ut infallibiliter habeat effectum, et etiamsi ex intrinseca sua natura non habeat determinare voluntatem ad unum. Quamvis enim in re ipsa vocatio congrua non habeat postea effectum sine concursu liberi arbitrii, nihilominus effectus postea secutus non est, nec fuit ratio meritoria, ob quam talis vocatio congrua homini data est, quia hic etiam locum habet illud axioma, principium meriti non cadere sub idem meritum, et meritum debere antecedere præmium, non subsequi. Quamvis enim Deus aliquando dederit aliquod præmium ex præviso merito ante executionem ejus, illud fuit singulare in Christo Domino, quoad gratiam propter ipsum collatam hominibus ante adventum ejus; temerarium autem esset hoc extendere ad primam gratiam, seu vocationem congruam quæ homini datur; nam licet detur ut per eam homo bene operetur, non tamen ideo datur quia per illam bene operaturus est, ut Augustinus recte docuit, in dicta quæstione secunda ad Simplicianum, et aliis supra citatis. Neque est ullus ex auctoribus, qui nostram sententiam sequuntur, qui aliud sentiat de vocatione efficaci, nisi quod gratis detur et absque ullo nostro merito. Imo etiam illi qui nolunt illam vocari efficacem donec faciat, fatentur dari a Deo eo modo et tempore quo præscivit infallibiliter habituram effectum; et similiter profitentur hoc non posse provenire ex merito hominis, sed ex sola benevolentia Dei, ut videbimus capite sequenti. Ergo nulla probabili consecutione. assertitur primam gratiam auxiliantem cadere sub meritum hominis, eo quod

determinatio ad sequendam illam posita sit in libertate hominis.

Non sequitur meritum ex solis viribus nature. — In quo sensu nullum sit inconueniens admittere meritum primæ gratiæ sanctificantis. — Ex quibus evidenter etiam constat non sequi ex illa sententia meritum gratiæ sanctificantis, nisi quatenus illud admittit vera vel saltem probabilior Theologia. Nam imprimis non sequitur meritum ex solis viribus nature; quia illa determinatio ad consentiendum vocationi non est ex nature viribus, sed ex ipsa vocatione, et adjuvante gratia; unde in se actio infusa et supernaturalis est, licet simul fiat a libero arbitrio. Deinde non sequitur meritum de condigno primæ gratiæ sanctificantis; quia ut determinatio illa sit meritoria de condigno, non satis est quod sit libera et supernaturalis, sed oporteret ut procederet a supposito grato, quod non habet, quando ratione illius infunditur prima gratia sanctificans. Ergo ad summum sequitur hanc determinationem esse meritoriam de congruo primæ gratiæ sanctificantis, quando est effectio ultimæ dispositionis ad eandem gratiam justificantem. Et in hoc sensu nullum inconueniens est admittere meritum primæ gratiæ sanctificantis, sed est plurimum et gravium Theologorum sententia, satis conformis Augustino et rationi, sine ullo præjudicio beneficii gratiæ. Nec vero hoc meritum de congruo sequitur specialiter ex hac sententia de dependentia nostræ determinationis a nostra libertate; nam quacumque ratione defendatur (prout necesse est juxta fidem defendi) ultimam dispositionem ad gratiam esse supernaturalem, et ordine nature præviam ad justificationem, consistet meritum de congruo primæ gratiæ justificantis, sive ante hanc dispositionem præcedat determinatio voluntatis a solo Deo facta, sive non, dummodo (ut etiam necessarium est) dispositio maneat libera. Qui ergo illa duo simul conjungere potuerit, scilicet, quod præcedat determinatio a solo Deo facta, et nihilominus quod actus qui est dispositio libere fiat, facile poterit admittere hoc meritum de congruo, etiamsi sententiam nostram de determinatione liberi arbitrii non teneat. Signum est ergo non sequi specialiter hoc meritum ex hac nostra sententia, sed solum ex conditionibus talis dispositionis, in quibus fundatur lex divina de infallibili consecutione gratiæ post talem dispositionem. Unde etiam e contrario si quis opinatus fuerit hoc non sufficere ad

meritum de congruo sine prævia sanctitate personæ, consequenter etiam poterit negare hoc meritum, etiamsi determinatio voluntatis ad suam conversionem ab ejus libertate pendeat. Et hoc modo non habet illud consequens necessariam connexionem cum nostra sententia; nos autem illud admittimus, quia et verum esse existimamus, et juxta vera principia recte sequitur ex libertate supernaturalis dispositionis vel determinationis.

CAPUT XI.

QUO VERO SENSU EXPLICARI POSSIT QUI DIXERIT
GRATIÆ AUXILIUM INFALLIBILITER DARI BENE
CONANTI PER LIBERUM ARBITRIUM.

Instantia adversariorum contra Molinam. — Contra doctrinam superioris capitis, et præcipue contra Doctorem Molina instant adversarii, urgentes quædam verba ejus in Concordia, disp. 10, in principio, quibus sentire putant dari aliquod opus extra gratiam, et ex solis viribus nature factum, ad quod infallibiliter sequitur gratia gratum faciens. Verba Molinæ sunt: *Quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstove est ad conandum totum id quod ex se potest, tam circa ea quæ fides habet addiscenda et amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ad justificationem, a Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliumque quibus id faciat quod oportet ad justificationem.*

Respondetur ad instantiam. — Ad hanc vero instantiam respondemus imprimis, esto accidisset ut hic auctor in illo vel alio loco minus vere sensisset de merito primæ gratiæ, non propterea vel minimum lædi, vel labefactari veritatem aliam, ab eodem auctore, et a nobis defensam de influxu libero nostri arbitrii in ipsamet determinationem ad consensum. Quia ex hoc principio non potest recte inferri error aliquis circa meritum primæ gratiæ, ut præcedenti capite evidenter declaratum est. Quod si quis forte, bene sentiens de libera determinatione, ex aliis falsis principiis, vel ex veris male applicatis decipiatur circa meritum primæ gratiæ, vel in quocumque alio puncto ad sinceram doctrinam de Dei gratia pertinente, non propterea debet infamiam vel calumniam sententia illa de modo efficaciæ vocationis congruæ, et libero influxu necessario ad determinationem voluntatis, de quo puncto nunc solum tractamus. Quid enim vetat Doctorem aliquem be-

ne et Catholice in uno et in multis puncti alicujus materiæ sentire, et in uno vel in altero labi? aut cur hujusmodi lapsus in infamiam totius doctrinæ redundabit? Quod non ideo admonemus, quia in hoc puncto censeamus esse necessarium, sed ut occurramus adversariis, qui ex quocumque verbo quod fortasse alicui ex auctoribus nostris tanquam homini excidit, totam nostram doctrinam suspectam et invisam reddere conantur.

Ab errore defenditur Molina, et verus prædictorum verborum sensus declaratur. — Verumtamen, ut religiosum virum, cujus vitæ pietatem, et veræ ac catholicæ fidei sanctum et pium zelum oculis conspeximus, et manibus contrectavimus, ab errore defendamus, verum ejus sensum in illis et similibus verbis (quamvis ad præsentem causam necessarium non sit) explicabimus. Primo igitur illa verba non recte accommodantur contra secundam assertionem a nobis positam, cap. superiori, quia in illis non loquitur Molina de gratia sanctificante, sed de gratia præveniente auxiliante. Ibi ergo non affirmat dari aliquod opus solis viribus nature factum ad quod sequatur infallibiliter gratia justificans, sed ad summum gratia præveniens, seu auxilians. Unde disputat. septima et octava ipsemet docuerat actus fidei, spei, charitatis et penitentiae, prout necessarii sunt ad justificationis gratiam obtinendam, non posse fieri a libero arbitrio solis naturalibus viribus, quæ est definitio Concilii Tridentini, cum Milevitano et Arausicano.

Objectio. — Dicitur fortasse, esto in illis verbis non asserat ex naturali opere sequi immediate infusionem gratiæ sanctificantis, ex illis tamen elici, saltem mediate esse infallibilem connexionem inter opus viribus nature factum, et infusionem gratiæ sanctificantis. Quia posito illo opere datur præveniens, et data gratia præveniente, homo se disponit proxime, et media hac dispositionem statim infunditur gratia.

Refellitur. — Nullum est opus, ex solis viribus naturalibus liberi arbitrii factum, quod congruam vocationem seu auxilium præveniens efficaciter infallibiliter obtineat. — Sed hæc collectio nimis est infirma, et ideo falso etiam Molinæ imponitur, quod asserat, cum opere facto ex solis naturalibus viribus liberi arbitrii, habere gratiam sanctificantem infallibilem consecutionem etiam mediate. Quia illa propositio in qua nititur hæc illatio, scilicet: Posita gratia excitante præveniente ponitur proxima dis-